



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Mutuum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

Vide v. *Vsura.*

1. Mutuum est contractus, quo rei dominium transfertur in accipientem, spe recipiendi similem in specie & bonitate. Hinc patet, mutuum celebrari de iis rebus, quæ recipiunt restitutionem, id est, quarum una dari & substitui potest loco alterius, ut vinum pro vino, pecunia pro pecunia, ita, ut una fungatur sufficienter vice alterius. *tom. 2. de Contractibus, disp. 9. 3 puncti 1. n. 1. & 2.*

2. Dividitur mutuum in expressum seu formale, & in tacitum, seu implicitum ac virtuale, id est, quod virtute includitur in aliis contractibus, & ob id palliatum dicitur. *Ibid. num. 4.*

3. Adverte, aliquos eximi ab obligatione mutui, ita ut ad mutui accepti restitutionem non teneantur, tales sunt Ecclesiæ, locupia, minor, & filius familias, qui non habebat bonam castrensiam, vel quasi castrensiam, nec credebatur esse sui juris; hic enim non tenetur pecuniam sibi mutuo datam solvere, saltem in foro externo, ante vel post mortem parentum; sicut neque Ecclesia, aut minor tenentur solvere, nisi mutuans probet mutuum esse conversum in utilitatem illorum. Videtur tamen filium seu filiam familias teneri ad restitutionem mutui accepti etiam ante mortem parentum, quando accepit pecuniam mutuo, ad ea, ad quæ insumenda erat pecunia a patre, ut si filius pecuniam accepit ad emendos libros, aut quando pecunia conversa est in utilitatem patris, aut eam accepit de consensu illius, aut quando iuravit filius, se soluturum, quamquam potest iuramenti relaxationem obtinere. Neque refert, quod renuntiavit privilegio *Macedonianum* nuncupato; cum illud videatur principaliter concessum in favorem parentum, nullus autem cedere potest privilegio in favorem alterius concessio. *Ibid. num. 6 7 & 8.*

A D D I T I O.

Mutuum repetens ante tempus, quia eget, non tenetur ad interesse, nisi mutuatarius aliunde, si ille non mutuasset, fuisset habiturus. De mutuo Mol. à d. 298. Garz. cap. 6. de usura in mutuo. D. Tho. 1. 2. q. 78. Bannes *ibid. art. 2.*

Mu-

Mutuare cum pacto remutuandi, licere quidam ajunt, sed alii negant, quibus assentitur Emm Sa; obligare enim ad aliquid pecunia aestimabile ob mutuum, usura est. *Cov. de contr.*

q. 37. pro remissione injuriæ accipere aliquid tamquam pretium, usuram putat, licitum tamen est, mutuare alteri cum pacto, ut privatam vindictam tibi condonet. Item, si exigat justam aliquam satisfactionem, pro fama vel honore violato, potes eum obligare, ratione mutui, ut condonet pacto amicitia, sed non justitiæ. *Lessius. l. c. c. 20 dub. 7.*

Renunciandi) Licere putant Angl. *usura 1. n. 4. Major. 4. d. 15. q. 29. ad 2. Bann. 2. 2. q. 78. art. 2. nempè, si commodè possit, idque imposita obligatione non gratitudinis tantum, sed & civili, juxta Adrian. in 4. de restit. sed contra negant D. Thom. l. c. ad 2. Cajet. *ibid.* Sor. *l. c. Gab. 4. d. 15. quest. 11. art. 1. Nav. c. 157. num 223. Mol. d. 308.**

Pecunia deposita cum potestate utendi, fit mutuum, idemque est de quovis consistente in numero, pondere, aut mensura, fitque depositarius dominus.

Si quis det frumentum, recepturus oleum, mutuum videtur implicitum.

Mutuare mercatori cum pacto, ut reddat in mercibus; vel operario, ut in operis, est emere, anticipata solutione. *Vid. Mol. d. 309 n. 6.*

Mutui vexatio licitè redimitur. *Sor. l. c. art. 2. col 3.*

N.

Negotium.

Negotium alterius potest quis agere, sine ejus mandato.

Nomen.

Nomen sibi quemque posse mutare, excepto servo, modo fiat sine fraude, & alterius præjudicio, quidam ajunt; Em Sa ad tempus, & ex causa id posse putat, alioqui acceptum in Baptismo, non posse, nisi fortè in Confirmatione.

Notarius.

I. Notarius habere debet scientiam, saltem mediocrem

co-